

totum Te mihi Martino, (utinam Lutheri vestigia vel cum postremis legere, ut par est, capaci!) tradidisti, & si quis unquam, ita me Tibi iisdem dotibus devinxisti, ut credere queam, Te eodem modo, quo Ille divus **MARBAHIVS** de **LVTHERI** mente scriptisque rationes reddere unus omnium optime valuit, quid hodie **VVittebergae** docuerimus, posteritati aliquando sincerissime expositurum. Tandem etiam, uti ille **JOHANNES** cum **MARTINO LVTHERO** (*) cathedram Theologicam conscendit, eoque praefide A. 1542. Mense Februarii accurate disputavit, ita me Tibi comitem ducemque elegisti, & prout iste cum Fanaticis circa argumentum de potestate clavium, ut & interiore & exteriori homine, non libidine contendendi, sed necessitate veritatis coelestis tuendae, congressus est, non minus dignum Tuo instituto judicavisti, ut quid hodie monstri Fanaticismus aleret, novissimo Inspiratorum exemplo demonstrares. Agedum igitur, redde nobis olim, in reliquis etiam incrementis, aliquem **MARBA-CHIVM**, & cum ita visum erit Numini, Tuisque Patronis, munere sancto ornatus, rem Tuam imo ecclesiae, sedulo cura: interea vero in studiorum cursu apud nos recte confecto, ac virtutum stadio persevera, praemiumque mox ad **TE** acceleraturum expecta, patriam coeterum habe tibi semper benignam ac pacatam, ac quod omnium est primum, **DEVM** porro, qui hactenus erga Te fuit, propitium & clementem. Vale! Scribeb. die **XXVII. Septembris A. O. R. M DCC XV.**

(*) De Johanne Marbachio Dannhauerus:

*Hic est quem mitra facibusque ornavit & auro
Leucoreo quondam in monte sonorus olor!*

& Boissardus:

*Argentina suo Marbacho talia debet:
Qualia Luthero debet hic ipse suo.*